



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

LVII. De his qui vel semel in ecclesia legerint, ab aliis non posse  
promoueri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

ANNO  
CHARII  
414

accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentes consulem & diem, ut nulla alteratio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

## LVII.

Dicit 72.  
Placuit vt  
quicunque.  
Et in Mile-  
nitano cap.  
15. Cod. Can.  
cap. 90.

Item placuit, ut quicumque in ecclesia vel semel suscepito officio legerit, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur. Et subscriperunt: Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginensis, huic Decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscriperunt.

*IN HOC CONCILIO, QVID EGERINT  
episcopi, qui ad transmarina legati diresti  
sunt, intimatur.*

De hoc Cō-  
cilio vide  
notas in  
Concilium  
Africanū I.  
sub Inno-  
centio.

**G**LORIOSISSIMO imperatore Theodosio Augusto & Rumorido viris clarissimis consulibus, VIII. Kalendas Septembbris, Carthagine, in basilica regionis secundæ, cum Aurelius episcopus in vniuersali Concilio consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Exigente ratione, fraternitas vestra a mea tenuitate ad hoc Concilium congregata est. Iamdudum enim, ( sicut vestra sanctitas recordatur ) habito Concilio, destinauimus fratres nostros ad transmarina legatos, quos oportuit in coetu sanctitatis vestra perfunctæ legationis cursum narrare. Et licet hesterno die de hac re considerantibus nobis, præter gesta ecclesiastica diligentius, quæ gesserint, tractaremus, hodie tamen oportet tractatum hesterni diei actis ecclesiasticis confirmari.

*DE EPISCOPIS PROVINCIARVM AFRICAE  
qui non adfuerunt præsenti Concilio.*

**O**RDO itaque rerum depositit, ut primitus de fratribus nostris & confacerdotibus, qui ad hoc Concilium vel de Byzacio, vel certe de Mauritania conuenirent, quæramus, quemadmodum huic Concilio decreuerint interesse, & offerentibus Philologo, Geta, Venutiano